



Pr. 15. num. 24.

1764, 4

17

COMMENTATIONIS HISTORICO - IVRIDICAE
DE

MVTVO NVMMARIO
POST PECVNIAE MVATIONEM
AD MENTEM LEGVM
PEREGRINARVM PARITER ATQVE DOMESTI-
CARVM RESTITVENDO

PRODROMVS

VT

EX ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
AVCTORITATE ET CONSENSV
SVMOS IVRIVM HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORIS

CAPESSERET

AD D. MART. c^o 1300CLXIV.

PROPOSITVS

A

CHRISTIANO HARTMANNO SAMVELE GATZERT
MEINVNGENSE.

GOETTINGAE

LITTERIS POCKWITZ - BARMEIERIANIS. ACAD. TYPOGR.



COMMENTATIONIS HISTORICAE - IUDICIAE

DE

MYTVO NYMARIIO

POST RECVINIAE NVATIONEM

AD MENTEM LEGVM

FRANCKENVM PAVITAE STATE DOMINII

CAESARIS AVGVSTI

PROLOGVS

VT

EX ALIIS RECESSIVIS ORVM OPBIS

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTIA

AVGVSTAE ET CONRADI

SVMMOS IVRYM PONDIS AD REVELLEM

DOCT. 1813

CAVILLIET

AD D. MARC. GILKOVICM

PROFESSORIS

CAVILLIETI LECTVM SVMMO CAVILLIETI

PROLOGVS

CAVILLIETI LECTVM SVMMO CAVILLIETI





Haud errare videtur, qui prouerbii Graecorum,
Bellum omnium patrem esse (a), nostri etiam
temporis veritate atque experientia firmati
recordatus, mutationem rei nummariae, il-
lius tamquam ancillulam pedissequamque, infinitorum ma-
lorum foecundam matrem dixerit. Eo enim instrumento
imminuto vageque fluctuante, quo negotia ciuium, con-
tractus et commercia expediri debent, aequari, promo-
ueri, qua vnquam ratione fieri potest, vt sua cuique bona
certa maneant ac publica salus fidesque inconcussa? Du-
bia

(a) Πόλεμος πάντων πατήρ; cuius
LUCIANVS in Praeceptis, *quomodo*
historia scribenda sit, (Opp. ed. Basil.

1602. 8. T. II.) p. 364. irridens me-
minit, belli tempore velle quemlibet
fere agere historicum.

A



bia redduntur pacta conuenta, quae societatibus, tutelis, mandatis, rebus creditis, emtis, venditis, conductis, locatis, legatis aliisque obligationum generibus, quibus confulimus vitae commodis, continentur. Incerti sunt redditus, incerta vectigalia ac tributa, poenae et praemia, quae a Legibus et iudicibus irrogantur; salaria ipsaeque aerarii opes ancipiti jaclantur valore; innumera tum in publicis, tum in priuatis rationibus dubia ac suspensa fiunt, nec a seditionibus (b) ipsis bellisque ciuium internis tuta adeo est res publica. Vt proinde bene animo rei ejus incommoda complexus esse videatur Rex ille Bohemiae moribundus, Boleslaus Pius in exhortatione filii Boleslai III. (c), *nullam eladem, nullam pestilentiam, nec mortalitatem, nec hostes ipsos, totam terram rapinis incendiisque deuasantes, magis nocere ratus populo, quam frequentem nummi mutationem; nec dubium fit, fore plerosque, qui sententiae auctoris Galli (d),*

pari

(b) Praeter exempla, quae in ipso libello ex rerum monumentis decerpta occurrent, varia ex inaequalitate monetae inter ciues orta diffidia ac tumultus consignauit MARTIN. SCHNOECKIVS *de Seditionibus* (Gröning. 1664. 8.) pag. 304. 306. 910. 912.

(c) Apud COSMAM PRAGENSEM in *Chronico Bohemorum* (Lib. III.

Hanov. 1607. fol.) Lib. I. p. 18. quem totum locum grauitate non minus sua quam veritate insignem tantique regis ori, quam priuati hominis, conuenientiore suo tempore referam.

(d) Dans les *Reflexions Politiques sur les Finances et le commerce*, de quibus mox plura. Propositum ejus, quod Tom. I. p. 3. colligit, sequentibus

pari apud nos argumentorum ejus pondere moti, subscribant in Germania etiam nostra, necessitate urgente quavis alia melius ratione aliove potius quovis onere subditis imponendo aerarii angustiis subueniri debere, quam rei pecuniariae imminutione.

Prouti autem fieri videmus, nullam calamitatem tantam esse, quae non cuidam saltem rei emolumento sit; bellumque ipsum, scientiis contrarium, earum augmento posse inferuire: ita certe hac ex parte, singulis aereorum nummorum tabe languescentibus et exhaustis, sola fere jurisprudentia ditescit. Nec commodiori loco Platonis sartores inter, vestes laceras reficere, ac Iuris prudentes, violata partium jura damnaque facta refarcire nitentes, instituta comparatio (e) suo fructu procedit, quam istis infinitis in litibus,

tibus teneas; Je me suis principalement proposé de faire voir, que nos fréquentes variations de Monnoyes ont toujours été, dans tous les cas, très-onéreuses au Roi et aux Peuples; qu'ici, comme ailleurs, l'intérêt du Souverain et celui de ses sujets sont communs et reciproques, et que dans un pressant besoin de l'état, il sera toujours infiniment plus avantageux à Sa Majesté, de se procurer les secours, dont elle peut avoir besoin, par tout autre moyen que par une mutation de monnoye.

J'espère aussi faire voir que si les peuples sont en état de supporter une imposition, ils la doivent payer avec d'autant moins de peine et de répugnance, que, soit qu'elle fût d'un centième, d'un cinquantième, d'un quarantième, d'un trentième, d'un vingtième, d'un dixième et même d'un cinquième de leurs revenus, elle ne leur fera jamais aussi désavantageuse qu'une mutation dans les Espèces.

(e) Quam refert OLYMPIODORVS in Vita Platonis, Tomi II. editionis





quibus personant fora quotidie nostra, ob miram jurium obligationumque, quam soli monetae immutationi acceptam ferunt, incertitudinem fere inextricabilibus; in quibus necesse est, ut grauissima dubiisque implicita maximis necdum decisa legum litiumque capita sub incudem vocentur probeque ponderata non sine eximio rei legalis incremento determinentur.

Loci inter eas haud vltimi est disensionis plena apud doctos illa *de mutuo nummario post interuenientem pecuniae mutationem creditori restituendo* vexatissima disputatio, quam multiplex causarum varietas casuumque magnitudo ac frequentia a remotis inde saeculis in imperio nostro admodum commendarunt. Recessus monetalis Electorum Rhenensium a. 1385. soluendae pecuniae creditae, der Bezahlung der Schulden, jam meminit (f); nec certe nostro tempore recens videbitur quaestio aut heri demum nudiusue tertius mota, quam CYNVS Pistoriensis, qui a. 1336. diem obiisse legitur, sua jam aetate antiquam valdeque agitatam vocauit (g).

Tot

LAERTII Meibomianae calci adiuncta, pag. 586.

(f) ap. GVDEN. Tom. III. p. 570.

(g) Videbis ejus in Codicem et aliquot titulos primi Pandectarum Tomi i. e. Digesti veteris doctissima com-

mentaria, a NIC. CISNERO correctae et illustratae (Frf. 1578. f.) ad L. cum quid. 3. ff. de reb. credit. fol. 50. nr. 9. vbi quaestionem proponit: mutuauit tibi decem libras monetae, quae, antequam solueres, mutata est: tu vis reddere monetam mutam in eodem genere.



Tot autem tantisque omnis ea res dubiis premitur, vt
quaenam sententiarum, suo cuiusque opinionis, quae, si vspiam,
certe hac in lite communis contra communem est, rationum
pondere diligenter examinato, qua fidei publicae suum vindice-
tur robor, simulque creditori facultates ex beneficio in debito-
rem suo haud imminutae reddantur, nec pericula augeantur
debetis, sat saepe ipsa solutionis necessitate afflicti, Deus
aliquis viderit. Vtraque et dantis pecuniam mutuan et fu-
mentis salus ac fortuna ancipiti periculo exponitur, facili-
que inconsiderationis iudicis negotio communium mone-
tariae mutationis calamitatum incommoda multiplicato
onere ad mutuantium perniciem propriam ac quasi priuatam
deuolui queunt. Iam modum istum definire mediumque il-
lud felicissimum, quo tutissimus creditorem inter ac de-
bitorem eas, aequa lance determinare, hoc opus est, hic
labor. Quodsi igitur in constituendis ex aequo et bono
controuerbiae tam grauis tamque arduae finibus minus se-
cundo successu vtantur priuatae sortis homines, nec pro-
bent ista, quae sentiunt, omnibus; id eo minus mirum
esse debet, quo magis ipsi, quorum constituere ac videre
est, ne quid respublica detrimenti capiat vtque singulis
bene sit, principes ac legumlatores, quid factu in pecu-
niae

*genera, numquid potes? ait: ista quae et in modernis temporibus agitant men-
sio est antiqua et variae sunt sententiae, res Doctorum.*



niae creditae litibus saluberrimum statuunt, incerti sunt. Cujus rei quis aliud esse causae putet, nisi ejus ipsius quandam incredibilem magnitudinem ac difficultatem? Metam sane illam justam, quae contractuum fidem firmet nec opprimat debitorem solutioni imparem, *Philosophicum iurisprudentiae Lapidem* vocare non haesitavit sapientissimus Legislator Boruffo-Brandenburgicus (b). *Ce juste milieu, inquit, qui en maintenant la validité des Contrâcts n'opprime pas les débiteurs insolvables, me paroît la Pierre philosophale de la Jurisprudence.* Quibus augustae mentis oraculis has rationes praemisit: *Les loix qui regardent les Débiteurs sont sans contredit celles qui exigent le plus de circonspection et de prudence de la part de ceux, qui les publient: si ces loix favorisent les créanciers, la condition des débiteurs devient trop dure; un malheureux hasard peut ruiner à jamais leur fortune: si au contraire cette Loi leur est avantageuse, elle altere la confiance publique, en infirmant des Contrâcts, qui sont fondés sur la bonne foi.*

Quibus ita comparatis, quis jure miretur, quotiescunque Germania, si nullo alio morbo, pessima omnino rei

(b) Dans la *Dissertation sur les raisons d'établir ou d'abroger les Loix* par l'auteur des *Mémoires de Brandebourg*, quae adjecta est editioni hujus libri Francofurti - Lipsiensis 1752, et subsequentiū annorum, p. m. 29.

Separatim etiam scriptum illud Germanico idiomate prodiit sub inscriptione: *Abhandlung von den Ursachen, Gesetze einzuführen oder abzuschaffen.* Zf. u. Leipz. 1751. vbi locus noster est p. 29. sq.



rei monetariae conditione aegerrime se habens, mutationum nummularum oneribus perturbata fuit civiumque tristissimis de re cujusque sua altercationibus concussa, quod crebro saepius factum est: toties etiam in discutiendis decidendisque ambiguae illius controuersiae capitibus occupatos fuisse atque districtos Iureconsultos. Non enim dictum est nimium, facile aliquot scriptorum decadas, quae sola periodus aeruscatorum, qui patriam, conjunctis cum belli acerrimi clade viribus, circa finem primae saeculi praeteriti partis saeuissime oppressere, quaque atrociolem paremue nobis haud aliam vllam nummi iactationem referunt annales, hanc in rem publici fieri juris effecerit, consulere quam posse, qui sana et insana, sapida atque insipida haud nauseet colligere. Recentioris aevi libelli, quamquam cedant numero, maximam partem et doctrina et ratione praestant (i). Tantumque abest, ut ipsa, quae belli proximi calamita-

(i) Quo ex hoc inprimis saeculo praeter plura scripta in Bibliothecis, quas dicunt, Lipeniana Iuridica et Hirschiana Numismatica designata, ac in appendice Schmidiani libelli mox nominandi nouo apparatu collecta, referri debent b. CHRIS. LVD. CRELLII *Observationes de reditibus annuis lentiori moneta solutis*. Viteb. 1736. 4. ABRAH. GOTTL. TZSCHIRNERI

Disp. praeside HENR. MELCH. SCHÜTTENIO Erfurti m. Jan. 1738. habita de eo, quod iustum est circa Restitutionem mutui mutata monetae bonitate. 4. pl. Amplissimi ABR. GOTTH. KAESTNERI nostri Programma Lipsiensis aestiuus lectionibus 1750. praemissum, de restitutione mutui, mutato pecuniae valore. 1 1/2 pl. cuius doctae scriptiunculae argumentum legere poteret



lamitatem incommodis molestissimis, quorum ne nunc quidem penitus victrix existit effoeta Germania, comitata est rei monetariae miserrima imminutio merito suo jure hac parte destituta manserit, quin potius produxerit bonae admodum frugis commentationes aliquas, discussioni quaestionis positae maxime proficuas (k).

Inte-

tes in der unparteyischen Critick über Juristische Schriften. Erst. B. 4tes St. S. 362-65. Programma Lipsiense, cujus auctor b. BAVERUS videtur, nomine trium superiorum Facultatum, cum oratio d. XVII. April. a. 1754. ad memoriam L. B. de Silverstein et Plinickau celebrandam indiceretur, propositum, quod agit de legato alimentorum in gutru, groben, im Obersächsischen Creysß gültigen Münzsorten, neque nummos Gallorum aureos similesque, nec aliquando gross-simplices, tempore solutionis usuales, excludente 2 pl. 10. GE. ESTORIS Comment. de Permisso et vetito Collybo, quem Agio vocant, praesertim in antiquioribus debitis retribuendis, jure civili baud concessio, Marb. m. Majo 1754. et rep. 1755. 4. 12. pl.

(k) Quarum quas equidem novi, hoc ordine prodire: CHRISTIAN. FRID. IMMAN. SCHORCHII Pro-

lusio auspicalis de eo, quod justum est in reddendo mutuo, in casu, si monetae mutatio medio tempore facta est. Erf. m. Mart. 1761. 4 pl. 10. DAV. WENZELII Diff., praeside GE. SAM. MADHN Halac m. April. 1762. habita, sistens causam debitoris circa pecuniae solutionem mutato post contractum nummorum valore. 10. SAM. DOHMERI Dm. de Solutione debiti pecuniarii, mutata nummorum bonitate intrinseca, ex tempore natae obligationis aestimanda, m. Sept. Francf. ad Viadr. 1762. 4 $\frac{1}{2}$ pl. CHR. ERN. BAVERI Diff. de favore erga debitores calamitate belli debilitatos. Vitemb. m. Dec. 1762. 3. pl. sub CHR. HANNACCIO defensa, potissimum §. XIV. Nec sine fructu quis leget, quae sub moderamine ROSSMANNI, IOA. BVRC. GEIGER m. Nov. e. a. Er-langae disputavit de moneta Symbolica et Provinciali, 6 pl. Anno denique nuper



Interim qui fieri potuerit nescio, vt in tanta scriptorum illius rei turba praeter subtiles spinosque haud raro juris communis analogias; argumenta legum ac Doctorum auctoritates numero, sin pondere, graues; distinctiones valde quidem ingeniose, neutiquam tamen mente ipsis rerum argumentis edocta inaniter excogitatas; aequitatis denique rationes in vtrumque et creditorem et debitorem aequae flecti ceareas ac parum saepe legibus agnitas, nemo adhuc vel e cen-

nuper elapso 1763. in publicum prodire: *Joh. Rudew. Schmitz, I. V. D., ausführliche Abhandlung der kritischen Rechtsfrage: in was für Münzsorten ist eine Geld:Schuld abzutragen? Jena. 2. Alph. 4. de mutuo ejusque vsuris agitur §. 125-225. p. III - 217. IO. DAN. TITII, Physic. Prof., sine dubio Kaestnerum in hoc etiam eruditionis genere, vt vidimus, felici successu spartam natum, aemulati, Dissertatio juris naturae politici de Pecuniae deterioris atque melioris exaequatione praesertim in mutuo, Vitemb. m. Majo publicata, et Lipsiae jam altera vice edita 4. pl. Vsuras eadem in bonitate cum sorte soluendas, solide deduxit vo-*

catus nuper Consilarii aulici dignitate ad regimen Dresdense et vt sanctiori consilio a relationibus secretioribus esset Ill. BERNH. FRIED. RVD. LAVHN, I. V. D., in Epistola, qua communi nostro et ipsi et mihi carissimo amico *I. Fr. Kobio* de nuptiarum sollempnibus gratulabatur. Ien. m. Iun. 2 pl. Videtis quae de Commentatiuncula hac reconditae doctrinae plena retuli in den Göttingischen Anzeigen von gelehrten Sachen St. 140. m. Nouembr. p. 1134. Vltimum scriptum, quod vidi, est IO. THEOPH. SEGERI, I. V. et P. D., de mutuae valore monetae in solutionibus aestimando in forma Dissertationis m. Nouembr. Lipsiae 4½ pl. propositum.

B



centissimis amplius quid tractauerit, nec sit vllus, qui delitescens statutorum vrbium ac prouinciarum in Germania legumue monetarium sane non infrequentes super controuersia nostra dispositiones (1), quas primas tamen omnium consulere fas est, collegerit: vt proinde raro videas nominari in istiusmodi opusculis alias Constitutiones, quam Electorales Saxonicas et parce Brandenburgenses.

Facturusne igitur operae pretium sim, peritiores videant, si in controuersiae hujus suscepta disquisitione in gratiam inprimis eorum, qui litium ex diffitis saepe locis altatarum arbitratores leguntur, ea ratione elaborauerim, vt ex historia cum alias tum hoc loco juris scientiae etiam atque etiam opitulante priuatoque locorum Germaniae ac prouinciarum plurium iure, series legum earumque vel ferendarum vel latarum causae, mentes ac vicissitudines desume-

(1) HOPPIVS in *Commentario ad Institutiones* de mutuo agens iam suo tempore asserere non dubitauit, nullam fere prouinciam in Germania esse legislatione hujus capitis destitutam. Aliquas leges per iudicem quasi exhibet

Generol. de SELCHOW, qui pro humanitate in me sua ex insigni, quem possidet, Iuris Germanici apparatu statuario varia etiam mihi, quod grates agnosco, beneuole suppeditauit, in *Elementis Iur. Germ.* §. 594. 2.)



rentur, tabulis dein nummariis, quoad iis hic opus est, fidei publicae robore firmatis illustrarentur, et tandem examinatis spurii hujus doctrinae principiis, ne qua desint, adjicerentur ea, quae mihi quantulocumque circa problema illud juridicum ejusque singulas partes visa fuerint vel cum aliis communia vel propria. In nouissimis temporibus versanti praecipuae curae erunt leges recentiores vndequaue nec inani studio conquirendae; siquidem praeter vltima Edicta in terris Electoralibus Brandenburgicis et Saxonis sancita, jam ad manus sunt Constitutiones regiae Pomeraniae Suecicae, Hassiae, Eisfeldiae harumque terrarum, quarum priori vtpote admodum ex parte singulari varia rescripta Regia aliaque inedita perquam benevole mecum communicata subjiicientur.

Haec de altera ac potissima Commentationis meae parte; de prima jam dicendi locus est. Semper putavi, jurisprudentiae, qua per Germaniam vtimur, capita quam plurima infinitis locis multiplici rerum penu augeri et ampliari, vi argumentorum noua corroborari ac meliori fortasse, quam fieri solet, defendi posse successu, si quis conjungat



juris gentium Europaearum ciuilis notitiam ac penitio-
 earum historiam. Ex eo praecipue tempore firmior mihi se-
 dit haec opinio, quo scholas juris naturae Primicerii ICto-
 rum Gottingensium, fautoris optimi, frequentavi, senem-
 que aetate venerabilem, meritis ac nomine perillustrem, pro
 incredibili et diuite, qua pollet, rerum Europae gesta-
 rum scientia, innumeras res ex gentium vsu atque historia
 specialiori quotidie explicare vidi. Periculum igitur feci,
 viam a nemine, quantum equidem scio, adhuc tentatam in-
 grediendi eaque ad illustrationem thematis inauguralis mei
 primum vtendi. Cujus consilii me deinceps eo minus poeni-
 tuit, quo in maiorem contentionem inter externos ipsos tem-
 pore recentiori posita controuerfia deducta fuit (m). Hoc

ani-

(m) In Gallia et Italia inter varios eruditos non adeo longe ante de monetariis mutationibus, an prosint reipublicae et principum imprimis redditibus augendis inseruiant, acriter disceptatum fuit, nec potuit, quin simul sub examen venerit et ad Lydium lapidem reuocata fuerit quaestio, credito-
 rine an debitori potius pecunia immutata debeat succurri. E Gallis MELO-
 NIVS primam anam praebuit in libro,

quem vocat *Essai polizique sur le commerce*, Parisiis 1734. 12. edito ac recuso deinde auctius Amstelodami 1736. 40. et 54. 8. Totus in eo est, vt augmenta nummorum patriae suadeat ac mutationes crebras, et vt rebus debitoris plus iusto subuenire consulat. Qua ex parte potissimum aduersarium paulo post nactus est DV TOTIVM, qui Haegae Comitum 1738. duobus volum. 12. publici juris fecit *Reflexions poliziques* sur



animo non sine labore selegi ea, quae ad messem nostram
facientia in Gallia, Anglia, Scotia, utroque Belgio, Suecia,
Dania, Polonia, variis Helvetiae orbibus, Borussia, Bobemia,
apud Italos in terris Mediolanensibus, Genuensibus, ciuitati-
bus

sur les Finances et le Commerce, iterata
vice 1743. typis expressas. Qui autor
licet styli elegantiam Melonii neuti-
quam attingat, iudicio certe sincero et
gravi, cognitione rei Europae moneta-
riae historica ac politica, computandi
ratione et argumentorum, quibus viri-
liter causam defendit, pondere multum
illo est superior. Nummariae rei mu-
tationum distinas acerrimus, vt vel
verba ejus not. (d) prolata arguunt, plane
non esse arbitratur, cur debitor, quam
creditor, majori fauore dignus habeatur.
Sed cum inter alia, quae valde
diligenter jucunda varietate junctim ex-
posuerat de aerarii, commercii ac na-
vigatiōnis rationibus, nimius laudator
Lauriani, quod dicunt, *systemarii*, si
aeque astuta et accurata executio subtili
ejus inuentioni accesserit, fuisset; Ano-
nymus Lutetiae Parisiorum 1740. 2 vol.
12. rationes Totiani libri examini sub-
jecit, publicado opere, quod inscribitur,
*Examen du livre intitulé: Refle-
xions politiques sur les Finances et le*

Commerce, in quo, quantum quidem
huc pertinet, regulam, creditoris ma-
gis quam debitoris emolumento cedere
debere pecuniam variatam, fallam esse
judicat, duram legibusque et prudenti-
ae et humanitatis contrariam, quippe
quae velint, nec creditorem nec debi-
torem opprimendum esse; damnat igitur
et Melonii indulgentiam et Totii
seueritatem. Reprobatis deinde omni
modo Lauuil praeceptis, solum bonum,
quod produxerint, liberationem debi-
torum ait fuisse, si bonum dicendum
est, quod et creditorum ruinam et to-
tius regni vltimum periculum efficit.
In Italia Melonium secutus est auctor
tractatus, qui pro titulo habet *Delle
Monete libri cinque, in Napoli 1750. 4.*
Sed e contrario Romae eodem anno ad
veram, vt ita dicam, et propriam qua-
si jurisprudentiae normam super solu-
tionem debitorum nummariorum con-
trouersia explanata fuit in opere rara
juris ciuiliis et canonici prudentiaeque
judiciariae scientia expolito et causam



bus Parmae, Bononiae aliisque pluribus, Edictis principum
 juribusue statutariis determinata fuere, quae aliorum regno-
 rum et locorum judicatis atque obseruantia robur deinde
 nouum accipient. Mutationum nummariarum vbique pri-
 mum

creditoris temporisque contractuum
 seruandi strenue defendente, cuius in-
 scriptio est: *dell' Indole e Qualità natu-
 rali e civili della moneta e de' Principj
 istorici e naturali de' Contratti Disserta-
 zioni*, formae quadruplicatae maioris.
 Eadem vestigia secutus est Discursus de
 monetis in sensu Practico et morali,
*delle Monete in senso Pratico e morali
 Ragionamento*, Venetiis 1751. m. 4.
 excusus, qui Dominum GIROLAMO
 CONSTANTINI, excellentissimi Ven-
 etiarum magistratus deputatorum ad
 rei nummariæ curam ministrum agno-
 scit auctorem, adfirmante Totii et Me-
 lonii Interprete in Introductione p. VI.
 (*), non vero Aduocatum hujus no-
 minis Venetianum, vt velle vidi auto-
 rem *della storia letteraria d'Italia*, Vol.
 V. p. 199. Melonii nempe ac Du To-
 tii opuscula tanti visa sunt Italis, vt
 ciuibus tradi curarint Venetiis 1754. 4.
 versionem ex Gallico sermone hujus in-
 scriptiouis: *delle monete Controuerfa agi-
 tata tra due celebri Scrittori Oleramon-*

tani, i Signori Melon e Du Tor. In-
 terpres, qui omnino a Totio stat,
 praeter introductionem, quam prae-
 misit, in qua praesertim Examiniis su-
 pra memorati doctum specimen exhibet;
 subiunxit pariter in vulgari lingua
 ob varia opera politica celebris Abbatis
 de Saint-Pierre CAR. IREN. CASTE-
 LII *Discursum aduersus augmentatio-
 nes monetarum.* Ex copia *Dissertatio-
 num variorum illustrium virorum de
 Monetae Tutius*, quas multo studio in
 egregium rei monetariae ac historiae
 Italicae emolumentum ab anno inde
 1750 ad 1759. sex Volum. m. 4. col-
 legit primumque magnam partem edi-
 dit PHILIPPVS ARGELATVS, prae-
 cipue rei nostrae inseruiunt studio por-
 litico et juridico elaboratae commenta-
 tiunculae: BERN. DAVANZATI *Lectione
 academica de moneta*, Tom. IV. p. 157-
 167. atque Abbatis POMPEII NERI,
 qui ipse annis 1750. sqq. consultationi-
 bus in Insuebia monetariis iudex ac di-
 spectator interfuit, *Osservazioni sopra il
 Preco.*



num ratione habita, ex historia ea tantum decerpsi, quae vel plane singularia scituve necessaria vel monetariis Germaniae rebus vicina ac lucem majorem praebitura credidi.

Ne tandem defuerim officio, quod Regii Seminarii Philologici, cui olim per tres annos et sex menses licuit interesse, jure suo exigunt: ex historiae Graecae ac Romanae monumentis vetustatis exempla, quae facta nummorum mutatione ad debitorum solutionem explicandam spectarent propius, minime a jurisprudentia, quae coeca et illiberalis sine litteris humanioribus recte judicatur, aliena, eruere, nouaque proin et antiqua, domestica ac peregrina junctim proponere in leuiuseulo ingenii ac diligentiae academicae partu consultissimum fore duxi.

Tri-

Prezzo legale delle Monete e le difficoltà di preseruirlo e di sostenerlo, Tomo collectionis dictae V. a p. 89 sqq. cum variis appendicibus ac tabulis nummariis insertae. Praeterea non sine utilitate quis leget, quae valde subtiliter disputantur in der Abhandlung von den Grundsätzen der Münzwissenschaft,

mit einer Anwendung derselben auf das deutsche Münzwesen, aus der Englischen Originalhandschrift übersetzt. Tübingen 1761. 8. Quam male quamue bene virorum horum quisque rationes suas subduxerit, erit aliquando differendi occasio.



Tribus igitur partibus labor meus absoluitur, quarum prima ad finem jam perducta, Antiquitates et Leges Exoticas, altera Leges Prouinciarum atque urbium Germaniae statutarias, necessariis obseruationibus ac tabulis instructas; tertia denique clares causae disputandae varias, regulas, exceptiones et argumenta, juris communis beneficio vel aliunde subministrata, cum examine variarum opinionum continebit.

Quod reliquum est, cum non amplius editoris honesti obstetriciae manus anxie quaerendae sint, quam primum per alia negotia, quibus distineor, licebit operi vltimam manum admouere, prodibit in publicum.





*Vt largior sit disputandi materia, sequentes juris
controuersi theses subungere placuit :*

I.

Exceptio excussionis a tertio pignoris possessore valide
opponitur, sine discrimine an generale pignus sit an
speciale.

II.

Iure Romano non datur antichresis tacita.

III.

In conditione indebiti fortis repetendae usurae non
veniunt.

IV.

Legitime exheredatus in computanda legitima nu-
meratur.

V.

Casus bellici remissioni mercedis locum tantummodo fa-
ciunt, non praestationi ejus, quod interest.

VI.

Ex damno in fructibus perceptis accidente remissionem
mercedis pariter peti posse, recte statuitur.

VII.

Per procuratorem testamentum judici offerri non
potest.

VIII.



VIII.

Exceptio non numeratae pecuniae post biennium iure
Rom. non admittitur.

IX.

Interdictum Saluvianum datur etiam contra tertium.

X.

Sententia contra matrimonium lata ex mente quoque iuris
Canonici in rem iudicatam transit.

XI.

Clericis non omnis fidejussio est prohibita.

XII.

Rex Romanorum viuo imperatore maiestate iure proprio
haud gaudet.

XIII.

In quatuor ita dictis casibus mandati S. C. locum habet
interpretatio extensiva.

XIV.

Praejudicia Senatuum Cameralium male ad Praejudicia,
quae dicimus, Cameralia referuntur.




ULB Halle
004 327 837

3



f
56







Pr. 15. num. 24.
1764, 4
17

COMMENTATIONIS HISTORICO - IVRIDICAE
DE
MVTVO NVMMARIO
POST PECVNIAE MV TATIONEM
AD MENTEM LEGVM
PEREGRINARVM PARITER ATQVE DOMESTI-
CARVM RESTITVENDO

PRODROMVS

VT
EX ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
AVCTORITATE ET CONSENSV
SVM MOS IVRIVM HONORES AC PRIVILEGIA
DOCTORIS

CAPESSERET

AD D. MART. c^olo^oCCCLXIV.

PROPOSITVS

A

CHRISTIANO HARTMANNO SAMVELE GATZERT
MEINVNGENSE.

GOETTINGAE

LITTERIS POCKWITZ - BARMEIERIANIS. ACAD. TYPOGR.

